CICERO.
Historia est testis temporum, lux veritatis, vitæ memoriæ, magistra vitæ, nuncia vetustatis.

MATTHÆI PARIS,

Monachi Albanensis, ANGLI, HISTORIA Maior, à Guilielmo Conquæstore, ad vltimum annum HENRICI tertij.

Cum Indice locupletissimo.

LONDINI,
Anno Domini 1571.

leſcentibus clamoribus Iudęorū, Pilatus dimiſit illis Barrabam ad petitionē illorū, & tradidit eis Ieſum, vt crucifigeretur. Trahentibus aūt Iudęis Ieſum extra prætorium, cùm veniſſet ad oſtium, Cartaphilus prætorij oſtiarius & Pontij Pilati, cùm per oſtium exiret Ieſus, pepulit eū pugno cōtemptibiliter poſt tergum, & irridēs dixit: Vade Ieſu citius, vade, quid moraris? Et Ieſus ſeuero vultu & oculo reſpiciens in eum, dixit: Ego vado, & expectabis donec veniam. Ac ſi iuxta Euangeliſtam diceretur: Filius quidem hominis vadit ſicut ſcriptum eſt de eo: tu aūt, ſecundum aduentum meum expectabis. Itaq; iuxta verbum Domini expectat adhuc Cartaphilus ille, qui tempore dominicæ paſsionis erat quaſi triginta annorū, & ſemper cùm vſq; ad centū attigerit ætatē redeuntium annorū, corripitur quaſi incurabili infirmitate, & rapitur quaſi in extaſim: & conualeſcens, redit rediuiuus ad illum ætatis ſtatum, quo fuit anno quando paſſus eſt Dominus, vt verè poſsit dicere cum Pſalmiſta: Renouatur vt aquilæ iuuentus mea. Verùm poſt paſsionem Domini, creſcente fide catholica, idem Cartaphilus baptizatus fuit ab Anania, qui baptizauit B. Paulum Apoſtolum, & vocatus eſt Ioſeph. Habitat autē frequenter in vtraq; Armenia, & in alijs regionibus Orientis, viuens inter epiſcopos & alios eccleſiæ prælatos: homo ſanctæ cōuerſationis & religionis, pauca habēs verba & circūſpecta, vt qui nihil loquitur, niſi ab epiſcopis & viris religioſis fuerit requiſitus. Et tūc refert de rebus antiquitatis, & de ijs quę geſta fuerant in paſsione Domini & reſurrectione, & de teſtibus reſurrectionis, illis videlicet qui ſurrexerūt cū Chriſto, & venerūt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Refert etiam de ſymbolo Apoſtolorū, &